

Thomas Lindemann   Martin Tancke

## **Dissertatio Iuridica, De Cottidiano, Utilissimo Ac Nobilissimo Emptionis Et Venditionis Contractu**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731516222>

Druck   Freier  Zugang



Vertrag über  
Kauf - Verkauf

Vertr.  
Lindemann - Fandel.  
R. U. Nr. 1626.



~~74~~

29

75

1-1087

AUSPICE  
TRISAGIO SUMMO MAXIMO  
DISSERTATIO JURIDICA,  
DE  
COTTIDIANO,  
UTILISSIMO AC NOBILISSIMO  
EMPTIONIS ET VENDITIONIS CONTRACTU,

*Quam*  
SUFFRAGANTE  
FACTORUM ORDINE MAGNIFICO  
AMPLISSIMO,

PRÆSIDENTE  
*Excellentissimo, Clarissimo, ac Consultissimo*  
*Viro,*

DN. THOMA LINDEMANNO, J.U.D.

Et in hac alma ad varnum Academia Antecessore &  
Professore ordinario, Adfice, Præceptore & Favitore  
summoperè suspiciendo & colendo,

*Publicè*  
*In Palaestra Juridica Trutinandam & Ventilandam*  
*exponit*

MARTINUS TANCKEN

Wisnar. Megap.

*In Acroasi majori horis antepomer. consuetis*  
*15. die Julij.*



*H. Beer* ROSTOCHI *Nedden*  
ANNO ERÆ CHRISTIANÆ MDLXXVI  
JOACHIMUS PEDANUS Acad. Typ. excudebat.

NOBILISSIMO, STRENUO, AMPLISSIMO  
*eruditionis & prudentia eminentia spectatissimo*  
Viro,

DNO: LEONHARDO METZNERO

*Regis*  
De SALHAUSEN, Serenissimi & Potentissimi Danicæ & Norve-  
giæ &c. Cancellariæ germanicæ Præsidi, & Consiliario  
dignissimo, Patrono & Evergeti suo  
magno:

*Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo*  
Viro,

DNO: FOPPIO AB AYSSEMA, Potenti-

tissimorum ordinum Belgij Fœderati ad civitates Anseati-  
cas Legato perpetuo, Promotori quovis hono-  
ris cultu suspiciendo:

*Magnifico, Prudentissimo, Excellentissimoq;*  
Viro,

DNO: MARCO TANCKEN, Inclutæ

hujus Reip. Rostochiensis Consuli Seniori emeritis.  
Agnato & Favoriti colendo:

NEC NON

*Amplissimo, Consultissimoq; Viro,*

DNO: PETRO TO-PSEN, Serenissimi

Regis Svecicæ Consiliario, Mœccenati suo  
suspiciendo:

*Hocce devote observantia monumentum  
ad ulterioris affectionis invitamentum*

Offert & Consecrat

Auct. & Resp.





Σὺν Θεῶ.

THEMA I.



Contractus Emptionis & Venditionis, dum suis sese legum cancellis continet, & Justitiæ cōmutatiuæ æqualitatem spirat & redolet, maximo subinde Mortalibus est auxilio, quæ ceu cornu copia cuncta uberrimè suppeditat & depromit, multarum maximarumq; rerum usum eosdem docet, barbaricam profligat Regum & Magnatum externorum amicitias coaglutinat & confirmat; Contra verò eosdem perumpens, & sese siti inexpleta auri, maleuola deceptione, fraudulentaq; circumuentione conspurcans, ceu omnium vitiorum cataclysmus est, qui omnis generis ferit rixas vanas, profert altercationes futiles, ut ingentem controversiarum segetem legere liceat. Cum itaq; ex diverso ejus usu, adeo diversus fructus Reipublicæ maneat, operæ precium est Contractus hujus proprietates requisita & effectus in Palladio Academico subinde discutere. Quod ipsum & nos tentare satagentes merito ab ipsius vocis mysterio, unde res plarumq; intelliguntur & veniunt explicandæ auspicamur *l. Labeo. §. 2. ff. de supell. leg.*

II.

Etymon igitur Venditionis est à vendo, ita dictum quasi venundo, u & m abjectis litteris, ut sit vendere quasi venum dare. *Donell. lib. 13. comm. de Jur. Civil. cap. 1. pag. mibi 626. n. 80.* hinc venditor, hinc hujus factum venditio. Emerere à Græco Idiomate ἐμὲν profluxit, hinc ἐμμεσς Mercator & ita emere dicitur verbo ita facto, ut sit quasi è tuo meum facio, hinc emptor hinc hujus factum emptio. Unde patescit quod nunquam emptor sit venditor, & vice versa; quod verò *l. 19 ff. de actionib. Empt. & vend.* innuit veteres appellationibus hisce promiscuè usos, ibi usum illum intellectum volumus ut natura rei & connexitatis appellatione alterius vocabulum totum repræsentet Contractum

A 2

Nec

## III.

Nec præter rem erit, axioma Logicum hîc attendere, Homonyma ante definitionem distinguenda esse docens. Sumitur autem Emptio & Venditio vel latè, vel stricte; Generaliter vel latè omnes omnino Contractus *ex l. 12. Tabul. per emptionem & Venditionem celebrari solitos complectitur l. statu liberi 29. ff. de statu Liberis; Ernest. Colbm. conf. 40. n. 21. Lindem. in Exer. Inst. Diss. 7. tb. 1.* Et olim quidem cum nummus nondum esset inventus unusquisq; secundum rerum & temporum necessitatem, rem pro re permutabat, cujus frequentiam apud Germanos Tacitus & Plinius litterarum monumentis consecrarunt; sed cum difficultas quædam emergebat, ut nec tu haberes quod ego desiderarem, & vice versa, cœpit humana solertia materiam quandam ex imis terræ visceribus rimari, cujus publica & perpetua æstimatio *l. 1. ff. b. t. difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis subveniret, eaq; forma publica percussa nummus appellabatur, qui ceu Polypus omnium mercium formam assumebat, cunctarumq; rerum functionem sustinebat & veluti mensura erat, ad quam omnes res æstimabantur, jam demum Specialis Emptio locum invenit, ab una parte precio ab altera re interveniente, quæ à rerum permutatione distincta.*

## IV.

Hanc suis limitibus circumscriptam Emptionem & Venditionem non incommode definimus Contractum *l. 3. b. t. Jurisgentium l. 2. ff. eod. l. Jurisg 7 ff. de Pactis nominatum d l. Jurisg 7. bonæ fidei l. 1. § 3. b. t. solo consensu initum de re sive merce Emptori tradenda, & precio certo nummario venditori dando.*

## V.

Succedunt hujus Definitionis partes essentielles, seu requisita uti appellitant substantialia, quorum tria præcipua ex Jure promanant CONSENSUS, MERX, & PRECIUM, quorû deficiente uno deficit totus Contractus *Princ. Inst. b. t. l. 1. in fin. l. 2. §. 1. l. 8. l. 9. ff. eodem.*

## VI.

CONSENSUS conglutinans contrahentium animos, spectandus est non modo in ipso contractu integro, sed & in singulis ejus partibus ut potere & precio. Cæterum quamvis in omnibus

bus Contractibus consensus interveniat l. 1. §. 3 ff. de Pactis tamen hic quod generis est assignatur *κατ' ἐξοχήν* speciei, & solo consensu perficitur unde ad sui formationem solemnia verba, traditio- nem, scripturam vel Contrahentium præsentiam, quæ præter con- sensum reliqui desiderant de necessitate haud postulat, proindeq; inter absentes etiam per Epistolam vel nuncium fieri potest l. 2. §. 1. ff. de obligat. & acti. Principio Inst. de obligat. ex cons. Bocer. in class. ad b. t. eiq; nihil tam contrarium est quam error & dissensus l. 57. ff. de obli. & acti. l. 15. ff. de Jurud.

#### VII.

Dictus verò Error vel Dissensus, est vel in merce vel in Pre- cio. Si in Merce, est vel in Nomine, vel in Specie vel in Materia. Herm. Vultei. Comm. Inst. n. 14.

#### VIII.

Ex solius Nominis errore Contractus vitium non contrahit; nihil enim facit error nominis, inquit Ulpianus l. 9. ff. b. t. si de cor- pore constat, quod & in reliquis Juris partibus ferè omnibus obti- net l. 5. §. fin. ff. de Rei Vind. l. 8 ff. de Judicijs.

#### IX.

Error vel Dissensus si in Corpore committitur, ut si ego me fundum Cornelianum emere putem, tu Tusculanum te vendere: imperfectus est Contractus l. in Vend. 9. ff. b. t. Wesenb. in Parat. ad b. t. num. 5.

#### X.

Ex errore in Materia seu substantia, in eodem tamen corpore Consensus, conflictus veteribus oriebatur acerrimus, subsisteret- ne hic Contractus, an minus? Marcellus affirmantium suffragia probat; Ulpianus negantium dogma sequitur. Ast meliores ratio- nes præponderare videntur, quibus assensus assertioni Marcelli subtrahitur l. 9 b. t. Cuj. 2. observ. 4. l. 22. ff. de Verbo. obligat. Wesenb. in parat. b. t. Dn. Lindem. in Exer. Inst. Disß. 7. th. 8. idq; ne nimia fiat à rei valore inæqualitas. Hic tamen à Juris Interpretibus nota- ti casus, quibus nihilominus huic Contractui, naturalis vigor re- linquitur Ut pote si in materia erretur quæ non sit diversa in ge- nere, species tamen altera alteri præstet ut si aurum Rhenense pro Ungarico vel Arabico, vinum corruptum vel acidum pro optimo,



& ubi corpus est ejusmodi cujus pene eadem est *essentia* & ex diversis materijs conflatum in quarum alteram Consensus interponitur *l. quid tamen 14. b. t.*

XI.

Error in Precio, minorem dubitationem parit, hic enim contractum hunc plane vitiat; ideoq; semper certa & determinata esse debet precij definitio sapè allegat. *l. 9. ff. b. t.*

XII.

Consensum verò non coactum sed liberum, non simulatum sed verum intervenire oportet, unde nec venditio donationis causa, in re quæ donationem effugiebat facta subsistit *l. 3. t. b. t.*

XIII.

Tantum de Consensu utrinq; intercedente, modo de MERCE, quæ est de parte alterius Ut pote venditoris, quæ adeo necessaria ut sine ea ne intelligi Emptio Venditio queat *l. 8. ff. b. t.* Regulariter igitur, licite & Jurè res distrahitur, quam quis habere vel possidere vel persequi potest. *l. 34. §. 1. ff. b. t.* nec negotium nobis facessit, eares sive sit corporalis sive Incorporalis, ut Hereditas *t. t. ff. & C. de Heredi. Vendit.* servitus, annus census vulgò die wucherussichen Zinsen. *Vide Recess. Imperi de Anno 1648. von Wucherlichen Contracten, Andream Gailt: lib. 2. observ. 7.* Imo & nomina & actiones, etiam invito Debitore (modo ante litem contestatam hoc fiat) rectè venduntur, simile & de actione Injuriarum esto Judicium.

XIV.

Hinc ex illa generali Regula dispalescit quod earum rerum, quas natura, vel gentium Jus, vel mores Civitatis, commercio exuerunt nulla sit venditio *l. 34. §. 1. ff. b. t.*

XV.

Natura exemit merces in rerum natura non exstantes, nec quæ existare possunt, sive antea quidem fuere, sed tempore Contractus esse desinere, quarum exempla Domus exusta, Equus mortuus; Longe tamen alia est ratio earum rerum, quæ nondum existunt futuræ tamen sperantur, ut fructus futuri, captura piscium & his similia, quæ rectè emuntur *L. factum 12. ff. de act. Emp.* Hic enim spes loco rei est donec res existat. *Vulge. comm. Inst. n. 33. & 34.*

XVI.

## XVI.

Jure gentium venditionem effugiunt res, quæ nullius sunt, nec ullius esse possunt, uti res sacræ, sanctæ, religiosæ & Publicis usibus destinatæ *l. litora 51. l. qui officij 62. §. 1. ff. b. t.* Item liberi homines *l. 34. §. liberum Hominem ff. eodem* (nisi quod parentes urgente summo egeitatis & necessitatis telo, sanguinolentos hoc est recens natos & ab utero materno rubentes liberos vendendi Jus habeant) Hæ tamen res si ab ignorante emuntur, duntaxat venditor ab Emptore conveniri potest in id, quantum ipsius interfuit ne deciperetur Emptor *l. 4. l. 70. ff. b. t. Cujas. comm. in l. 33. Pauli ad edictum pag. 153. & sequent.*

## XVII.

Moribus Civitatis, Constitutionibus Principum, alienari prohibita res, quæ alioquin sua natura in distractionem cadunt, sed ob certam causam quis neq; habere, vel possidere vel persequi potest, de quibus totus existat Tutulus in *C. quæ res venire non possunt*, ubi nulli privato permittitur purpuram in serico, lana, vel blatta, vel oxyblatta, vel hyacintina distrahere, quarum rerum, prohibitarum largam messem legere licet passim locorum apud Juris Interpretes ad quos lectorem remitto.

## XVIII.

Hinc sese offert elegantissimum quoddam, sed dubiæ disquisitionis thema, an Venditor ad mercem præcisè tradendam teneatur, an præstando id quod interest liberetur, nos distinctionis fœdere litem decidendam arbitramur, aut ejus tradendæ facultas est poenes Venditorem, & tum præcisè ad eam præstandam ipsum teneri existimamus *l. Labeo 45. ff. b. t. §. 2. v. ad exemplum Inst. de Donationib. l. ex empto 11. §. 2. ff. de Actionib. Emp. & vendit*; Aut Facultas illa ipsi deest & tum condemnandus ad interesse quod circa rem ipsam versatur.

## XIX.

Superiori proxima Quæstioni, & hoc salebrosum potest ad-  
jungi Erotema. An vendita sylva in qua distrahens, venandi Jus  
habet, Jus illud simul distractum videatur, facta ejus nulla mentio-  
ne? Quæ controversia distinctionis] malagmate itidem sanari  
potest, aut venditor dictum jus habuit precario ex concessione sin-  
gulari,

gulari, aut Jure Dominij proprio. Hoc casu venationem ad emptorem transire statuimus *Argum. l. 13. §. fin. ff. de act. Empt.* Illo non alienasse videtur, cum ne quidem possit *Arg. l. 68. in omnib. causis ff. de Regul. Jur.*

XX.

Occurrit nobis tractanda alia quaestio, an ultra mercem principalem & ejus accessorium praestandum? Ubi Affirmantium castra sequimur, & emptoris lucro cedere statuimus, uti ad quem functionum gravamen pertinet. Hinc aedibus distractis, & ea intelliguntur distracta, quae quasi pars aedium sunt vel propter aedes habentur *l. Julian. 13. §. fin. ff. de act. Empt. & Vend. l. Aediles 38. ff. de Aedil. Edicto. L. aliena. 67. ff. b. t.* Item Fructus, foetus, Partus. *l. fructus. 13. l. penult. C. de Act. Empt.*

XXI.

Succedit PRECIUM ex parte Emptoris interveniens, & continet omne id, quod ex bono & aequo Venditori ab Emptore praestari oportet *l. 2. §. ult. ff. de obligat.* quod & ipsum de essentia est hujus Contractus *l. 72. ff. b. t.*

XXII.

Cæterum pretij principalis duæ sunt proprietates, quarum altera ut consistat in pecunia numerata *§. item precium. 2. Inst. b. t. l. 1. ff. eodem* Neq; hic cum Emptione confundenda permutatio, de qua lite inter se acriter digladiabantur diversae Juris Civilis Sectæ, Sabiniani & Proculiani, sed resecta & rejecta Sabinianorum sententia, Proculianorum opinio palmam obtinuit *l. 1. ff. b. t.* qui tamen optimè invicem possunt reconciliari ex superiori positione tertia, nisi quis in hisce intricatis disquisitionibus subinde malit volvere saxum Sisyphi quam hæreses veterum Jctorum tollere, Sabiniani namq; ad originem hujus contractus, quæ cum permutatione fuit eadem; Proculiani ad formam ab ea separatam & distinctam respexere? Potest insuper pro pecunia numerata alia res volenti & consentienti Venditori dari *l. 9. C. de rescind. vendit. l. 21. §. 4. ff. de act. empt. & Vend. Dn. Lindemannus Exer. Inst. tb. 11.*

XXIII.

Altera est certa Pretij determinatio, cujus quantitas aut ipso nomine

nomine exprimitur, aut conveniēte relatione ad aliud designatur : ipso nomine ut potē si merx 100. venerit florenis, relatione ad aliud si venditor dicat, se tanti vendere, quanti ipse emerit, vel tanti quantum est in arca *l. 7. §. 1. ff. b. t.* An vero in tertij alicujus arbitrium possit conferri, ambigua inter veteres erat quæstio, Justinianus distinctionis fœdere litem dirimit, ut subsistat Emptio & Venditio Titio pretium definiente, minus subsistat, eo non definiente *l. ult. C. de Contrab. Empt. §. sed & certum Inst. b. t. Giphani, in Comm. ad d. t. Vultei n. 47.*

#### XXIV.

Accessorium etiam præstatur, quod ultra pretium principale obligatione Venditionis continetur *Bocer. in classib. ad disp. de empt. & Vendit Hotoman. lib. quæst. illustr. quæst. 36.* quale est, quod Venditionis qualitas, & vis naturalis sine Cōtrahentiū pactione parit, ut usura Pretij, mora interveniente *l. 5. §. 13. C. de Act. empt. & Vend. l. 13. §. veniunt ff. eodem.* Item sumptus in rem venditam ante ejus traditionem facti *l. 13. §. præterea ff. d. t. l. 16. C. eodem.*

#### XXV.

Ex hac Pretij natura non inconvenienter quaritur an in uno nummo Pretium consistere possit? ubi in Negantium militamus castris muniti *l. 46. ff. Locati*; nisi fortean res majori precio communiter non ematur. *Mozz. in tract. de empt. & Vend. Nicolaus Everhard. in Locis legali. Loco a. vi numeri n. 12.*

#### XXVI.

Item disceptatur, si ex una parte species tantum, ex altera species & Pretium interveniat, an sit Emptio & Venditio? nos distinguimus de qua re *ὁὐν θεῶν* in discursu.

#### XXVII.

Sed cum hæcenus delibaverimus requisita essentialia, illisq; annexas quæstiones ex jure descendentes, consequens est ut de his, quæ ex pacto contrahentium sint dispiciamus ubi ADDICTIO IN DIEM sese offert, quando Venditio quidem statim contrahitur, sed addictio fit in diem, hoc est differtur in diem rei datio, ni interea meliorem conditionem alius offerat. *t. t. ff. de in diem addiçtion. Wesenb. in Parat. eodem. Fürstl. Würtemberg Erneuert Landrecht. par. 2. tit. 10. & 11.* Melior a. intelligitur Condicio, si vel pretio sit  
B quid

quid additum, vel solutio facillior aut maturior, vel quid utilius. Venditori offeratur *l. 4 §. sicum & U seq. ff. b. t.* Tenetur autem Venditor priorem emptorem facere certiorum, ut si quid aliud adiecit ipse quoque adiecit & licitando vincere possit *l. Item 6: §. fin. l. 8. ff. eodem.* Et si ita descedatur ab Emptione erit pura, quæ sub Conditione resolvitur: nisi a, melior Conditiõ erit oblata, & ita fit perfecta, est emptio Conditionalis *Ulpian. l. 2. b. t.; Wesenb. in Parat. n. 3.*

### XXVIII.

Haud etiam infrequens est, ut ei apponatur PACTUM LEGIS COMMISSORIÆ, ut nisi intra certum diem pretium exsolvatur, res sit inempta propter moram commissam *l. t. ff. de Lege Commissoria.* Idque in tantum obtinet, quamvis emptor non sit interpellatus, ut pretium dicto die offerat, *l. 4. §. si fundus §. fin. d. n.* Dies enim interpellat pro Homine *l. magnam C. de Contrab. stipul.* Arbitrio autem Venditoris tenetur, utrum legis commissoriæ vim exercere, an Pretium petere velit; *l. 4. §. eleganter ff. b. t.* quarum altera electa via, amplius variare nequit. *l. penult. ff. eodem.*

### XXIX.

Pactum quoque de retrovendo locum habet, quo agitur, ut refuso quandoque pretio res restituatur *l. 2. C. de Pactis inter emptorem & Vend. composit.* & jus ex hoc pacto quaesitum transit in heredes, imo & extraneo cedi potest *Gail. 2. observ. 2. n. 4. & 5. Teraquel. de retrabend. convent. §. 1. gloss. 6. n. 1. & seq. Hartm. Pist. quest. Juris 21. n. 1. & 2.* Sunt & per plurimam aliam pactioes in viridi observantia, quibus omnibus ut exactiorem limam adhibeamus chartæ angustia non patitur.

### XXX.

Intricatum hic occurrit Erotema, Pactum huic Contractui adjectum si sit ambiguum, contra quem sit interpretandum, non adversus cum statuimus, in cujus potestate fuit legem apertius dicere *Papin. l. 39. ff. de Pactis* & cum Venditor plerumque legem dicere soleat contra eum interpretatio facienda *l. 172. ff. de Regulis Juris. l. labeo 21. ff. b. t.*

### XXXI.

Huc usque de pactis, modo de causa Efficiente, seu de Personis in

nis in hoc Contractu intervenientibus. Regulariter hic tenendum quod emere & Vendere possunt omnes, quæ non expresse prohibentur. Personarum verò alia sui sunt Juris, alia alieni; rursus alieni, sunt vel Patriæ vel Dominicæ potestati subjectæ. Servi igitur Juris gentium capaces, minus Juris Civilis *l. quod attinet 32. ff. de Regul. Jur.* Filyfam. communionem habent utriusq; Sed cum Consensus, quo Emptio & Venditio peragitur sit Juris gentium, ideoq; & amborum Condicio capax hujus contractus, effectu tamen diverso Servus enim nihil potest debere, nihilq; ei deberi, sed cum eo verbo abutimur, factum magis demonstramus, quam ad Jus Civile referimus obligationem, uti expresse ait Ulpianus *l. 41. ff. de pecul.* Illud tamen cessat in filiosam, at tamen & is ob nexum patriæ potestatis omne quod acquirit acquirit Parenti suo Excepto Peculio Castrensi & quasi, & adventitio ratione proprietatis *l. 2. in princ. ff. de Contrab. Empt. Vultejus in Comment. Inst. n. 60.* In his verò, quæ sunt sui Juris generaliter tenendum, illas hunc Contractum rite in ire posse nisi vel natura, vel lex ipsis sit impedimento.

XXXII.

Natura, Infantes, Furiosos, mente captos uti animi sensu & consensu destitutos ab hoc Contractu arcet *l. 40. ff. de Regul. Juris l. 2. C. de Contrab. Empt.*

XXXIII.

Lege prohibentur alia personæ ob ætatem; uti Pupilli nisi ipsorum Consensus Tutoris auctoritate suffulciatur; alia ob malè administratam rem familiarem; ut Prodigii, qui bona dilacerando & dissipando profundunt *l. 15. ff. de Verb. obligat.* etiam si Juramento Contractum firmarint. *Mozz in 1. de Contrab. Emptio*: Alia ob officium vel publicum, vel Privatum. ratione officij privati Tutor cum Pupillo hunc Contractum inire non potest *l. 34. § fin. ff. de contrab. empt.* nisi hoc fiat Contutore aut Concuratore interveniente, vel palam bona fide & approbatione Judicis *Sichard. n. 11. Fürst. Württemberg. Landordnung pag. 50. tit. der fahrenden hab. S. wie auch die Pfleger.* Ratione publici officij, quæ munus aliquod publicum gerunt, non simpliciter, sed cum illis quibus sunt proposita *l. 33. § sequi ff. sic certum petatur l. eos 3. l. quisquis 16 C. eodem.* Huc referuntur & alia Personæ ut Medicus ab ægroto tem-

pore imminentis mortis *l. si Medicus 3. ff. de varijs & extraor. Judicij.*  
Milites in eo loco ubi militant *l. 62. ff. de Contrab. Empt.*

XX XIV.

Personas etiam certas Jus Prælationis vulgò *περὶ μέρους* dicitur, comitari, solet, idq; vel Jure propinquitatis, vel societatis, vel vicinitatis, sed hoc, antiquum, quidem: est Constitutionibus Principum abrogatum *l. dudum C. de Contrab. Emption.* hodie tamen tacita consuetudine, quæ instar legis est & Confirmatione Constitutionis Friderici denuo introductum est.

XX XV.

Causam efficientem, seu Personas sequitur Effectus, nimirum periculum & Commodum Rei venditæ, hoc Emptorine an Venditori præstandum sit quæritur? Acutissimus ille Ictus Jacobus Cujacius in *tractatu ad Africanum in explicati. l. 33. ff. locati* quamvis opinetur, quod emptione perfecta Periculum respiciat Venditorem, tamen opinio Contrarium sentientium melioribus fundamentis nititur. Regulariter itaq; tenendum, statim atq; emptio & Venditio per Conventionem pretij rei emptæ, etiam nondum traditæ contracta sit, periculum Emptoris esse; ita ut is pretium integrum Venditori solvere compellatur, etiamsi res Vendita sit consumpta, combusta, aliave ratione extincta *§. cum autem Inst. b. t. l. 7. § 8. ff. de Peri. & Comm. rei Vend. l. 35. §. si res ff. de Contrab. Empt l. 1. § 4. C. eodem. Gomez Variarum resolut. 15. n. 12. Cav. 1. resolut. 15. n. 2. Oldendorpius Clas. 4. act. 1. Duar. de Peric. & Commod. rei Venditæ.*

XXXVI.

Si quid autem dolo, lata ac levi culpa Venditoris emptione perfecta, merce verò in emptorem nondum translata, contingit ipse tenetur *l. 23. ff. de Regul. Juris. l. 35. §. 4. ff. b. t. l. si Vend. 11. in fine ff. de Pericul. & Comm. rei Venditæ.*

XXXVII.

Ad hujus Interiorem ductum expedit dispicere, quando emptio sit perfecta, quæ disquisitio cautela distinctionis potest expediri; Aut Emptio purè facta; aut sub Conditione: illa statim perfecta, ideo periculum & commodum Emptorem respicit; Hæc impleta demum Conditione perficitur *l. 7. ff. de Contrab. Empt. & tum*

tum Venditio in præteritū retrotrahenda, ut quasi purè facta videatur *l. 11. ff. qui potior. in pign.* Ideoq; periculum est Emptoris. Ea vero pendente, si universa Merx intereat Periculum est Venditoris, si deterior fiat emptoris *l. 8. ff. de Peric. & Comm. rei Vend.*

XXXVII.

Porro Emptio aut in scriptura; aut sine scriptura contrahitur, illa non ante perfecta nisi instrumentum rite confectum, & tum demum Periculum est Emptoris. Hæc sola conventione de Pretio, uti patescit ex thesibus superioribus, & tum periculi præstationem in emptorem transmittit.

XXXIX.

Aut Emptio facta mercium quæ pondere, numero & mensura constant; Aut Domus, agri, Vineæ, Libri, Illarum tum demum suis numeris absoluta & perfecta emptio, cum res fuerint adpensæ, adnumeratæ, admensæ, & proinde periculum & Commodum non nisi facta appensione & admensione in emptorem redundat. *Caj. l. 35. quod sepè §. in his ff. de Contrab. Empt. l. 2. ff. de Per. & Com. rei Vend. Giphani in Comm. Inst. ad hunc Titulum, nisi tales res per Aversionem vendantur Germanicè Ueberhaubtkausen / hoc enim casu periculum etiam ante admensionem, ponderationem vel adnumerationem ad Emptorem spectat l. 4. §. 1. ff. de Pericul. & Comm. rei Vend.*

XL.

Dispiciendum restat quomodo Contractus hicce dissolvatur & rescindatur. Itaq; cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quid dissolvi, quo colligatum *l. nihil §. ff. de Regul. Juris*, merito ab eo disceditur, re existente integra mutuo partium dissensu *l. 7. §. 6. l. 58. ff. de Pactis. §. ut. Inst. quibus modis toll. obligat.* Res a. tunc integra dicitur si neq; pretium sit solutum neq; res tradita. Mutuo diximus consensu, unius enim dissensu non rescinditur, altero invito *l. 3. & 5. C. de rescind. Vendit.*

XLI.

Item annihilatur ob Dolum, qui inest proposito non re ipsa *l. 7. ff. de dolo malo.* Metum *l. 1. l. 8. C. de rescind. Vend.* idq; fit vel ipso Jure si dolus causam ipsi dederit, vel Exceptionis oppositione si in Contractum inciderit. Immodica quoq; læsione ex rescripto.



Imperatorum *Dioclet. & Max. l. 2. C. d. t.* contractus hic rescinditur. Alias licet Contrahentibus quadantenus hoc est infra dimidium Justipretij sese invicem naturaliter circumvenire *l. 16. §. penult. ff. de Minorib. l. 22. §. ult. ff. Locati. Wesenb. in Parat. ff. b. s.* Idq; optima ratione lex admittit *Oldendorp. class. 4. act. 1. pag. 388.* Sin verò læsio dimidiam Justæ æstimationis partem excedat, bona fides Jure exigit, ut aut ad æqualitatem Contractus reducat, aut ab eo abeat.

#### XLII.

Sed cum Venditori in læsione & circumventionem *per l. 2. C. rescind. Vend.* succurratur, quæritur à Jure peritis an id beneficium etiam ad Emptorem veniat extendendum. Per plurimos restringunt ad solum Venditorem, pro qua sententia & Cujacius militat, alij ab ea divortium faciunt. *Robert. animad. 13. Fachinæus Contro. Juris 1. cap. 16.* quibus uti pro firmioribus rationibus stantibus & nos calculum album adijcimus. Similiter variant inter sese Interpretes num supra dicta decisio & in rebus mobilibus procedat sed nos ob identitatem rationis affirmantium sententiæ subscribimus.

#### XLIII.

Neq; Arrharum jacturam hunc contractum perfectum rescindere statuimus *Wesenb. n. 9. Arum. Exercit. Inst. disp. 14. t. 9. Gerhard. Decad. 4. thes. 6.* Quia non est de ejus substantia, sed tantum ejus indicium & argumentum *Dn. Lindeman. exerc. Instit. disp. 7. thes. 5.*

#### XLIV.

Deniq; notandum venit quod ex hoc Contractu duæ proficiuntur actiones, Empti nimirum & Venditi; illa competit emptori, qua experitur adversus venditorem, ad consequenda ea, ad quæ præstanda venditor ipsi obligatus; Hæc Venditori adversus Emptorem ad ea consequenda, ad quæ præstanda ipsi emptor ex bono & æquo obstrictus *l. ex empto u. l. Julianus 13 §. ex Vendit. 19 ff. de act. Empt. l. 2. §. ult. ff. de obligat. & actionib. Harp. in Com. de Empt. & Vendit. Treutl. disp. 28. tb. 11.* Est autem utraque actio Civilis bonæ fidei, perpetua & directa *Wesenb. in parat. n. 1.*

COROL-

## COROLLARIA.

### I.

An Particularis solutio Invito Creditori  
obtrudi possit? N.

### II.

An Beneficium *l. 2. C. de Patrib. qui filios*  
etiam Matri sit datum, ita ut & illa tempore  
famis possit distrahere liberos? A.

### III.

An Princeps Contractus cū subdito, vel  
alio initos servare debeat? A.

### IV.

An Princeps subditis Jus quæsitum ad-  
mere possit? N.

### V.

Facebant tamen hic amarulentæ & in-  
faustæ quorundam Civium & Incolarum  
indignationes, dum ariolantur *ex l. 11. C. de*  
*Contrah. Empt.* neminem invitum rem suam  
distrahere cogendum, quando AEdificia,  
hortos, horrea tenentur vendere ad Con-  
structionem Fortalitij, Fossarum, moenium,  
vel ad horum constructorum ampliacionē,  
sed

sed malè cum Favor publicus, priva-  
tæ utilitati præferendus, & multa Jure  
Civili contra rationem disputandi pro uti-  
litate communi recepta sint *l. si ita vulnerat*  
*ff. ad l. aquili.* imo reipub. salus subinde su-  
prema lex sit; quin quod? Justinianus glo-  
riatur in *l. unica §. hæc a. C. de Caducis tollendis*  
hic locum habet dum refert sibi identidem  
tantum superfuisse clementiæ ut quod cõ-  
muniter omnibus prodesset, hoc rei suæ &  
privatæ utilitati præferret, suum esse pro-  
prium subjectorum commodum existi-  
mans.

VI.

Hoc tamen sobriè & grano salis accipi-  
endum duco, ut in his & similibus casibus  
Justum pretium refundatur.

VII.

An Pactum de Retrovendendo præscri-  
batur? N.


MONITI MELIORA SE-  
QUEMUR.

Soli Deo Gloria.









the scale towards document

eteritū retrotrahenda, ut quasi purè facta videatur. *in pign.* Ideoq; periculum est Emptoris. Ea niverſa Merx intereat Periculum est Venditoris. *l. 8. ff. de Peric. & Comm. rei Vend.*

XXXVII.

o aut in ſcriptura; aut ſine ſcriptura contrahi perfecta niſi instrumentum rite confectum, & ulum est Emptoris. Hæc ſola conventionē de ex theſibus ſuperioribus, & tum periculi prærem transmittit.

XXXIX.

acta mercium quæ pondere, numero & menſura mus, agri, Vineæ, Libri, Illarum tum demum ata & perfecta emptio, cum res fuerint adpendenſæ, & proinde periculum & Commodum ſione & admenſione in emptorem redundat. *§. in his ff. de Contrab. Empt. l. 2. ff. de Per. & Com. Comm. Inſt.* ad hunc Titulum, niſi tales res per ntur Germanicè *Überhaupt kauffen* / hoc enim iam ante ad menſionem, ponderationem vel ad Emptorem ſpectat. *l. 4. §. 1. ff. de Pericul. &*

XL.

n reſtat quomodo Contractus hicc diſſolvatur q; cum nihil tam naturale ſit, quam eo genere colligatum. *l. nihil 55. ff. de Regul. Juris.* merito e exiſtente integra mutuo partium diſſenſu. *l. 7. is. §. ult. Inſt. quibus modis toll. obligat.* Res a. tunc eq; pretium ſit ſolutum neq; res tradita. Mu- niſu, unius enim diſſenſu non reſcinditur, altero *reſcind. Vendit.*

XLI.

latur ob Dolum, qui ineſt propoſito non rei ipſa Metum. *l. 1. l. 8. C. de reſcind. Vend.* idq; ſit vel ipſo am ipſi dederit, vel Exceptionis oppoſitione ſi ciderit. Immodica quoq; læſione ex reſcripto.

B 3

Impera-